

judicare de veritatibus philosophicis solum ex cortice sensuum. Nam si remanet eadem forma corporis in animali, et in cadavere mortuo, etiam remanebit eadem forma corporis cum ex cadavere fit ignis, vel terra, aut sanguis, nec enim est major ratio in uno quam in alio, et sic nihil speciale adducitur in argumento de ossibus, et reliquiis sanctorum, sed idem dicere possunt de omni corpore in quod fit transmutatio. quod remanet eadem forma corporis in omnibus, quod satis absurdum est. Dicitur tamen illa caro, vel corpus pertinere ad talem sanctum, quia manet eadem materia prima, et habet ordinem ad resurrectionem faciendam in eodem corpore cum eadem anima, ut dicit S. Thomas III par. quæst. I, art. II ad II.

Tertia: Quod in canonizatione sanctorum pie creditur quod Ecclesia errare non possit, respondetur hoc esse valde probabile, et commune (licet alii teneant esse omnino certum, ita ut oppositum sit hæresis) et hanc opinionem tenent Bagnez 2-2, quæstion. I, artic. X, in commentariis brevioribus, dub. VII; Torres 2-2, disput. XVI, dub. III; Pegna I p. directorii, quæstion. XVII, in fine; Cano, lib. V, de locis, capit. V; Covarruv, libro primo variarum, capit. X, numero XIII; S. Antoninus, I part. tit. XII, capite VIII; Turrecremanta, in tractatu de Ecclesia, capite LI; Silvester, verbo canonizatio, aliique plures. De hoc autem agemus 2-2, tractatu de potestate Papæ.

Quarta: Quod non potest aliquid misceri calici consecrato. De hac quæstione aliud est tractare quid liceat vel expediat, aliud quid sequatur ex tali mixtione, an scilicet species corrumpantur facta mixtione, vel non. De hoc secundo agit S. Thomas, III p. quæstione LXXVII, artic. VIII, et quolib. X, artic. III et in IV

distinct. XII, quæst. I, artic. II, quæst. VI, et resolvit quod ad commixtionem alterius liquoris corrumpuntur species, vel in totum, si totum perfundatur, vel in partem, si pars. Cæterum an hoc liceat, vel non liceat, ibi non tractat, nec video quid contra praxim Græcorum statuat D. Thomas.

ARTICULUS V.

Quæ ad veram intelligentiam, et discipulatum D. Thomæ conducunt?

Eam sibi apud omnes fideles auctoritatem, et amorem D. Thomas conciliavit, ut fere nullus sit, qui ejus nomen, sanctitatem, doctrinamque non admiretur, discipulatumque non ambiat. Quibus certe verba Urbani V, in sæpe citata epistola ad Tolosanos proponenda sunt; ut ex eis facile discerni possit quantum et ad quid veri Div. Thomæ discipuli in ejus defendenda, et sequenda doctrina teneantur. « Tenore præsentium, inquit Pontifex, vobis injungimus, ut ipsam Div. Thomæ doctrinam tamquam veridicam, et catholicam sectemini, ipsamque totis viribus ampliare studeatis. » Duo ergo conditiones sunt (ad quas cæteræ reducuntur) quæ verum S. Thomæ discipulum constituunt. Prima, sectari ejus doctrinam ut veridicam et catholicam. Secunda, eam totis viribus ampliare. In neutra conditione exigit Pontifex ut eam, aut plene intelligamus, aut in nullo ab ea discedamus, hoc enim non est conditio discipulatus, sed finis, ad hoc enim tendimus per hujus doctrinæ disciplinam, ut ad ejus veram intelligentiam perveniamus. Verum tamen hoc ex munere potius Dei habetur, quam ex conditionibus discipulatus. Nam et Ecclesia hoc orat a Deo, ut det nobis ea, quæ Div. Thomas docuit intellectu conspi-

cere. Non ergo desinit verus esse Thomista, qui non in omnibus de facto assequitur mentem doctoris sancti eumque intelligit. Nam et propriæ mentis infirmitas, et doctrinæ profunditas non semper id patitur. Sed tamen qui Thomisticum nomen profitetur, saltem illa duo observare debet, scilicet sectari doctrinam ejus, et ampliare, aut in amplificationem totis viribus incumbere.

Sed quia in hoc ipso stare potest difficultas quia multi possunt sibi persuadere, et intelligere, quod sectantur, et ampliant doctrinam D. Thomæ, alii e contra sibi persuadent se potius melius illum intelligere, et explicare, et consequenter ampliare, atque ita de intelligentia dissensio sit, et contradictio; unde ergo judicari poterit, quis verius, et proprius Div. Thomæ sectator sit? Præsertim cum in multis locis D. Thomæ doctrina varias suscipiat intelligentias, in aliis vero nondum disputationibus, ita sit eventilita, ut possit ad vivum mens ejus penetrari, aut non impune desereri, sicut et a multis etiam Thomistis deseritur. Ad hoc ergo dignoscendum nonnullis possumus indiciis uti, quibus conditiones veri et proprii discipulatus s. doctoris manifestari poterunt, et discerni.

Primum sit, ubi evidens et clara ratio manifestat, quæ sit mens D. Thomæ ut illam sectemur, aut evidens impugnatio qua ea rejicitur, optimum signum intelligentiæ Div. Thomæ et discipulatus ejus est, continuatio, et adhæsiō ad illos, qui per successionem temporum discipuli ejus habiti sunt, ejusque doctrinæ adhæserunt. In discernendis enim generibus, et familiis, maximum locum et vim probationis habet continuata successio. Unde si a tam multis annis, et ab ipso D. Thomæ tempore discipuli ejus habiti sunt, qui sic illum intellexerunt, et secuti

sunt vestigia ejus, sicut Hervæus, Carpreolus, Cajetanus, Ferrariensis Victoria, Soto, Flandria, et alii similes, ergo potius habendi sunt ut discipuli D. Thomæ ac veri Thomistæ qui sub istorum linea, et successione militant D. Thomæ quam qui hos impugnando, aut emendando, aliam intelligentiam se invenire gloriantur. Certe ut recte observavit Tertullianus, non alio modo præscribitur a catholicis contra hæreticos circa legitimam Scripturæ intelligentiam, quam ostendendo in nobis continuatam successionem vera traditione fidei, et cum Ecclesiis ab Apostolis fundatis. « Omne enim genus, inquit Tertullianus, libro de præscriptionibus, c. XIX, ad suam originem censi necesse est. » Et inde probat illas esse habendas legitimas Scripturas, et non adulteratas, quæ successionem Ecclesiarum per manus devenerunt ad nos: « Ut proinde, inquit, c. XXI, constet omnem doctrinam quæ cum illis Ecclesiis apostolicis matricibus, et originalibus fidei conspirat, veritati deputandum. » Sic ergo ex origine maxime, census esse Thomistarum constat, ibi enim potius veram, et non adulteratam ejus intelligentiam esse dicemus, ibique verum Thomistarum nomen censi, qui a tempore D. Thomæ per successionem, semper ut ejus legitimi discipuli habiti sunt; et ita qui eidem successioni nunc aggregantur, et sub ea militant, inter D. Thomæ discipulos non immerito censi sunt. Qui vero inde exorbitant, aut intelligentiam illam sic communiter per tot annorum successionem receptam convellere nituntur extra censum istum, et genus sunt.

Dices: Illi qui intra talem successionem discipuli D. Thomæ censi sunt, aliquando ipsum deserunt, ergo et nunc licebit veris ejus discipulis aliquando ipsi non adhærere,

Fateor aliquos sic discessisse, sed in hoc esse attendendam differentiam, nam aliqui fortasse discesserunt impugnando, seu contradicendo, et hi quantum ad hoc discipuli non fuerunt D. Thomæ, magis autem abierunt retro. Alii non contradicendo, vel impugnando, sed aut non assequendo, aut sub aliqua apparenti ratione putando se intelligere, vel explicare mentem s. doctoris, cum in re non ita esset quia fortasse res ipsa sufficienter non erat ventilata, et disputationibus discussa, et consequenter neque mens Div. Thomæ clare constabat, in quo non discipuli nomen amiserunt, licet imperfectiori modo ipsius doctrinam sint secuti. Nec tamen ob hoc successio ipsa doctrinæ Div. Thomæ tradenda interrupta est, quia neque hoc omnes fecerunt, neque in multis, sed paucis sic defecerunt, et fere semper conati sunt ad meliorem Div. Thomæ explicationem quam potuerunt, et quod uni notum fuit, alius melius intellexit, sicque nunquam defuit vera tradendæ doctrinæ successio, licet in hoc vel illo aliquis defectus, vel imperfectio inventa sit in hac parte.

Secundum signum, seu indicium sumitur ex ipso stylo, et modo procedendi circa doctrinam s. doctoris. Qui enim non ad hoc præcipue laborat, ut ejus doctrinam defendat, et difficultates evincat, sed potius excusationes captat deserendi ipsum nec multum curat de ejus explicatione, et sensu indagando, non legitime et sincere se exhibet Sancti Thomæ discipulum. Itaque affectus ipse ad S. Thomæ doctrinam, et conatus, ac labor in defendendo, et ampliando, maximum signum est veri discipulatus, etsi aliquando ex infirmitate propria ac profunditate difficultatum, non plene intelligatur, aut etiam declaratur. Ubi autem languet iste conatus, et affectus, et

minus sollicitat cura de explicando sensu doctoris, parum etiam curatur de nomine discipuli ejus. Ratio vero hujus est, quia tales non student totis viribus ejus ampliare doctrinam, magis autem excusationes habere volunt in deserendo ipsum. Hoc autem est quod Urbanus v, sectatoribus doctrinæ D. Thomæ maxime commendat: « Ut ejus, inquit, doctrinam studeatis totis viribus ampliare. » Nemo autem totis viribus ampliat, qui excusationes præ se fert non sequendi. Propter hoc, qui militiæ discipulorum D. Thomæ nomen dat, ex affectu ad ipsum s. doctorem, et ad ejus doctrinam probari debet, hoc enim prius curandum est ut amemus auctorem cujus sequi doctrinam desideramus, Pulchre Augustinus, libro de utilitate credendi ad Honoratum, cap. vi, tomo vi: « Agendum, inquit, prius est ut auctores ipsos non oderis, deinde ut ames, et hoc agendum quovis alio modo potius quam exponendis eorum sententiis, ac litteris. Propterea quia si Virgilium odissemus, imo si non eum prius quam intellectus esset, majorum nostrorum commendatione diligeremus, nunquam nobis satisfaceret de illis ejus quæstionibus innumerabilibus, quibus grammatici agitari, et perturbari solent. Nec audiremus libenter qui cum ejus laude illas expediret, sed ei faveremus, qui per eas illum errasse, ac delirasse conaretur ostendere. Nunc autem cum eas multi, ac varie pro suo quisque captu aperire conentur, hic potissime plauditur, per quorum expositionem melior invenitur poeta, qui non solum nihil peccasse, sed nihil non laudabiliter cecinisse, ab eis etiam qui eum non intelligunt, creditur. » Ita Augustinus, quæ mirifice nostro deserviant proposito, ut videlicet prius hoc verus D. Thomæ discipulus agat, ut non solum non eum oderit, sed etiam

quovis alio modo quam exponendis ejus litteris, ac sententiis. Deinde vero ille s. doctoris præcipue discipulus demonstrabitur, per quem potissimum ejus doctrinæ applauditur, et per cujus expositionem melior invenitur, ita ut non solum nihil peccasse, sed nihil non laudabiliter cecinisse, etiam ab his a quibus non intelligitur, credatur. Si enim hoc in sectatoribus Virgilii communiter acceptum fuisse, Augustino non displicet, quomodo in D. Thomæ sectatoribus displicebit? Aut quomodo inter discipulos ejus numerari poterit, qui ad hoc conatur, ut in aliquo defecisse s. doctorem, aut indefensabilem doctrinam habuisse demonstraretur? Melius est ut credatur laudabiliter cecinisse, etiam in his in quibus non intelligitur.

Tertium signum sit, si in exponenda mente s. doctoris ejus major gloria, et claritas quæritur non propriæ opinionis, aut opinionum plausus, et novitas; certe hoc certissimum indicium est veri, ac sinceri ejus discipuli. Nam ut optime Bernardus, serm. xiii, in Cantica admonet: « Fidelis revera famulus es, si de multa gloria Domini tui, etsi non exeunte ex te, saltem transeunte per te, nil suis manibus adhærere contingat. Tunc juxta mandatum Domini lux tua lucet eorum hominibus ad glorificandum non te, sed Patrem qui in cœlis est. » Ergo verus D. Thomæ discipulus, et minister, non suam in doctrina sed illius satagat statuere. Alioquin non est totis viribus D. Thomæ doctrinam ampliare, sed opinionem propriam, sed plausum, sed gloriam. Unde jure illi inter D. Thomæ sectatores numerari poterunt, qui doctrinam ejus non suam totis student viribus ampliare. Quod si solum quis sequitur D. Thomam, quando suæ consentit doctrinæ, et solum superficialiter, et perfunctorie curat de

mente D. Thomæ explicanda, hic ex ipsa sua intentione judicatus est, quia se ipsum primo loco ostentare cupit, non illius gloriam propalare. Quare ille ex corde, et veritate discipulus ejus est, qui de sancti doctoris gloria, et amplificatione doctrinæ sollicitus, non propriam claritatem quærit, sed Magistri.

Quartum signum sumitur ex ipso modo defendendi doctrinam S. Thomæ. Nam qui vere, et sincere discipulum se ejus profitetur, non solum sequitur eum, aut convenit cum ipso in conclusionibus quas docet, sed etiam rationes ejus non rejicit, sed explicare, et declarare studet, etsi quæ loca videntur contraria concordare et exponere. Hoc enim modo maxime procuratur ampliatio doctrinæ D. Thomæ. E contra vero non curare multum de rationibus D. Thomæ, non de locis contrariis concordandis, ac denique relictis locis ubi clare, et expresse rem tractat, vindicare mentem D. Thomæ, ex aliquibus locis obscurioribus, aut ubi obiter, et per transennam de re aliqua agitur non est se discipulum D. Thomæ exhibere. Ratio est quia qui conclusiones D. Thomæ acceptat, sed rationes respuit, hoc ipso fatetur ipsum sine sufficienti fundamento, et ratione docuisse, nec se exhibuisse magistrum, et doctorem, quia non probavit quæ dixit. Quomodo ergo discipulus ejus erit, qui rationes ejus contemnit, quomodo in magistrum eum habebit, et tamquam unum de primis, et principibus doctorum venerabitur, cujus rationes despicit? Sine ratione autem non est scientia nec doctrina, ergo non vult in scientiæ magistrum habere, quem non vult in rationibus quibus docet ipsum approbare. Hoc autem non est ampliare doctrinam, est detruncare, et transmutare, ergo non est verus sectator D. Thomæ, nec qualem Urbani v exhortatio,

admonitioque desiderat. Eleganter Vincentius Lirinensis, libro adversus hæreses : « Ad profectum, inquit, pertinet, ut in semetipsa unaquæque res amplificetur, ad perturbationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiæ ætatum, ac sæculorum gradibus intelligentia, sapientia, scientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem sensu, eademque sententia. » Et infra : « Fac est ut prisca illa cœlestis philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur, sed nefas est ut commutentur, nefas ut detruncantur, ut mutilentur; accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem. » Hæc vellem sibi ante oculos proponerent omnes veri sectatores, et discipuli D. Thomæ ut in scriptis disputationibus, in expositionibus, intendant in s. doctoris placitis lucem distinctionemque afferre, sed retinendo semper ejus doctrinæ plenitudinem, integritatem, proprietatem. Si autem ejus rationes non confirmantur, sed deseruntur, si tantum perfunctorie de ejus mente, sensuque explicando tractatur, si ea quæ sibi contraria videntur non concordantur, non enodantur, quomodo retinetur plenitudo, integritas, proprietatesque doctrinæ? Quod si non retinetur, quomodo totis viribus studetur ejus ampliationi, quomodo veri sectatores sunt, qui hoc ministerium non implent?

Quintum signum est, major unitas, et concordia in sequenda via et doctrina D. Thomæ. Etenim divisio in doctrina semper de veritate suspecta est : « Vera autem sapientia, ut inquit Dyonisius, iv capite de divinis nominibus, est a multis opi-

nionibus convertens, et ad unam venam, et uniformem congregans cognitionem, et uno unitivo lumine complens. » Super quæ verba D. Thomæ, lect. iv, in cap. iv de divinis nominibus : « Illi, inquit, qui cognoscunt veritatem, conveniunt in sua sententia, sed illi qui ignorant, dividuntur per varios errores. » Quare ubi major est unio in sequenda doctrina D. Thomæ ibi major est dispositio ad ejus assequendam veritatem, et sic ibi apertius est signum sincerioris discipulatus D. Thomæ.

Nec obstat, quod inter multos etiam Thomistarum tam antiquos, quam recentiores hæc desideratur unio, et concordia, et multæ divisiones reperiuntur in ejus mente explicanda, ergo semper restat eadem difficultas in discernendis verioribus sectatoribus Div. Thomæ. Sed respondetur ut nihil in hac corruptibilium rerum serie est undequaque perfectum, ita neque inveniri hanc unionem, et concordiam ab omni scissura, et divisione liberam, præsertim anteriori tempore. Cæterum illud pro signo, et indicio legitimi, ac sinceri discipulatus D. Thomæ accipimus, non ubi absoluta et perfectissima unitas et concordia, sed ubi major sit conatus, et studium ad illam promovendam, et conservandam adhibeatur, nam ut recte Tertullianus dixit libro de præscriptionibus, capite xxviii : « Quod apud multos unum invenitur non est erratum, sed traditum. » Et in schola Thomistarum ad unitatem doctrinæ saltem in non obvian-do neque contradicendo Div. Thomæ menti quantum fieri potest studium opponitur; ex hoc enim maxime pendet ampliatio, multiplicatioque doctrinæ ejus, quam tantopere Urbanus Pontifex commendat. Ut enim in simili ponderat Cajetanus super capite xvii Joan-

nis ad illa verba : *Ut credat mundus quia tu me misisti*: « Fructus, inquit, unitatis Christianorum in Deo Patre et Jesu propagatio fidei ad universum mundum, ut intelligamus extensionem fidei, non tam fieri prædicatione quam virtute unitatis Christianorum in Deo et Jesu, videns enim mundus Christianos unum esse fide, spe, et charitate moribusque secundum Deum et Jesum, movetur ad credendum. Experientia autem testatur verum esse quod dicit Dominus, quia ex quo Christiani parum, aut nihil sunt unum in Jesu et Patre, non extenditur fides Christi, sed continue diminuitur. » Ita Cajetanus, et proportionaliter explicari potest cuicumque doctrinæ, quæ existimatur vera. Ex unitate enim eorum qui eam sequuntur, sequitur extensio ejus, ex divisione vero diminutio, ut proinde appareat nihil ad diminuendam D. Thomæ auctoritatem ita efficax inveniri, quam in varias divisiones, ejus sensum dissecare; e contra vero nihil ad ejus doctrinæ ampliationem, extensionemque ita

conducere, quam unitas, et concordia in ejus mente, sensu que explicando, et sequendo.

Hæc omnia dicta sint non alicujus livore vel invidia, nec personas aliquas respiciendo, sed in communi, profitentes non sic doctrinæ D. Thomæ nos adhærere, quod aliorum doctorum scholas non amemus, et excelsos viros qui in verbo gloriæ floruerunt, et florent, etiam si a Div. Thoma discedant, non veneremur. Nam ut præclare idem s. doctor docet ex Aristotele xii metaphys. lect. ix in fine : « In eligendis opinionibus, vel repudiandis, non debet homo duci amore, vel odio introducentis opinionem, sed magis ex certitudine veritatis, ideo oportet amare utrosque, scilicet eos quorum opinionem sequimur, et eos quorum opinionem repudiamus. Utrique enim studuerunt ad inquirendam veritatem, et nos in hoc adjuverunt: sed tamen oportet nos persuaderi a certioribus, id est, sequi opinionem eorum qui certius ad veritatem pervenerunt. » In hac ergo Div. Thomæ admonitione quiescamus.

FINIS.